



**Disputatio de sententia D. Pauli ad Romanos septimo: Noui quod non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum. : ex qua Deo clementer aspirante et de viribus humanis in conversione hominis ad Deum & de eo etiam agetur: num peccatum originis sit accidens vel substantia.**

<https://hdl.handle.net/1874/428357>

# Disputatio

DE SENTENTIA D. PAVLI AD

*Romanos septimo: Noni quod non habitet in  
me, hoc est, in carne mea bonum.*

EX QVA DEO CLEMENTER ASPIRANTE,

Et de viribus humanis in conuersione hominis ad Deum:  
& de eo etiam agetur: Num peccatum originis  
sit accidens, vel substantia.

PRAESENTE CLARIS-


SIMO VIRO THEODORICO SNEPFIO

Doctore & Professore Theologo, in Academia Tübinger-  
si Respondente autem Reuerendo viro D. M. Paulo

Vveiss Professore Theologiae in Academia  
Regiomontana ordinario.

DISPUTABUNTUR HAEC THEMATA PV-

blicè die 5. Nouembris, hora septima, in auditorio  
Theologorum.



T V B I N G AE.

Per Alexandrum Hoggium, Anno 1585.

СИЛА ОЧИСТАЯ

СИЛА ОЧИСТАЯ

D. APOSTOLVS PAVLVS AD RO.  
MANOS SEPTIMO:

*Noni quod non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum.*

**D** Augustinus in eis libris, quos de S. Tri- Aug: De Trinit:  
de scripsit, eos, qui τὸν γράμματος di- lib. 4 in prefatione  
ligenter perpendant, & siue sint infirmi- ne.  
tatis conscientia, rectius facere dicit, quam  
eos, qui rerum naturam & motus distan-  
tiasq; siderum metiuntur.

2. Nam illos agnita sua miseria ad Seruatorem Domini-  
num confugere, qui pignus est salutis nostræ: cum alia  
scientia nihil tale praestare possint.

3. Et sane meditatio illa imbecillitatis nostræ, hoc seculo  
maxime necessaria est, cum hodiè multi humanis vi-  
ribus & conatibus nimium tribuant: que opinio de gloria  
meriti Christi plurimum decerpit.

4. Contra non pauci in aliud scopulum impingunt,  
affirmantes, homines post illam miseram cladem non mo-  
dò originali iustitia, sed sua etiam priore substantia esse  
exutos.

5. Nam illud originale malum ita hominum naturæ  
infedisse, ut etiam in substantiam abierit.

6. Quare cum fanatici perniciose errore in duo extre-  
ma impingant, nec τὸν γράμματος teneant, corrigenda  
ex sacris literis eorum opiniones sunt: ne cum detimento  
salutis, imperitis obtrudantur: & ad interitum multorum  
serpent.

7. Rectissimè autem ista omnia corrigi γράμμα Aposto-  
lica illa videntur: cum Paulus Romanis scribens ingenuè  
fatetur: *Noui, quod in me, hoc est, in carne mea non habi-  
tat bonum.*

8. Quamuis autem Augustinus initio hæc de non re- Aug. lib 6.con:  
natis intellexerit, tamen errorem illum postea correxit, & Iul. cap. II.  
Paulū de se renato loqui, affirmare non dubitauit.

9. Quod si Apostolus non dubitauit pronunc are, tan-

A ij tam

*Disputatio de*

tam imbecillitatem hærere in renatis, quid tribueret naturæ nondum instauratae?

10. Princípio ergò in hac disputatione statuemus, vires humanas post primam illam cladem ita eneruatas esse, ut ad bonum elaborare, nisi emendatae, & postea à Domini Spiritu adiutæ & suffultæ fuerint, non possint: ostensuri deinde, hallucinari eos, qui docent peccatum esse substantiam.

11. Et sancè si nulla alia in sacris hac de re essent testimonia, vel vñica hæc *yū̄μα* à tanto Apostolo profecta, sufficiente posse videretur.

12. Disertè enim dicit Apostolus: NOVISSE se, quod in carne sua non inhabitet bonum: de ea autem re, quam exploratam & cognitam habet Paulus, ambigere nullo modo debemus.

Eph. 2.  
13. Idem Apostolus in eandem sententiā scribit Ephesij: Nos natura filios esse iræ.

14. Et in Romanis duobus capitibus prolixè probat, tam gentes, quādi Hebreos esse peccatores.

Gen. 8.  
15. Quid quod DEVS ipse tragicis verbis cogitationes cordis humani, ab ipso ortu depravatas & contaminatas esse dicit: Sensus, inquit, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Pro. 20.  
16. Et Sapientissimus Rex, qui post homines natos vixit, negat, quenquam hominem de puritate cordis posse gloriari: Quis, inquit, potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?

17. Diuinis ergò & humanis testimonijs euicimus, humanam naturam malo originis miserè esse, veluti perniciosissimo veneno, infectam.

18. Etsi autem talia testimonia, loco demonstrationis omnibus esse debent; tamen res ipsa docet, hæc esse quād verissima.

19. Nam Apostolus descripturus rationes libertatis illius nostræ, dicit, DEVUM in nobis efficere, ut velimus & perficiamus pro bono animi proposito, certè viribus nostris

*viribus humanis &c.*

ſtris in ijs, quæ apud Deum laudem merentur & conatum & profectum omnem adimit: & eius rei in ſolidum autem facit Dominum.

20. Nam si talis aliqua facultas à nobis proficeretur, nos etiam ſocij his laudibus aſcriberemur: nec ſoli DEO vniuersa tribuerentur: Sed videmus Apoſtolum omnia accepta ferre numini.

21. Ex his etiā conſtat, D. Paulū dicentem: Noui, quod in me, hoc eſt, in carne mea, non inhabitet bonū: per carnem non perturbatos duntaxat animorū motus (ut quidam opinari ſunt) ſed omnia, quæ à viribus noſtriſ proficiſci poſſunt, intelligere.

22. Nam quod vocabulo carnis non diſtinguat appetitum à ratione, ſed à nouo homine veterem, ex ijs, quæ eodem loco habentur, manifestum eſt.

23. Sic enim paucis interpoſitis, ſequitur; Delectat enim me lex DEI ſecundū internum hominem, ſed video alia legem in membris meis, rebellantem legi mētis meq.

24. Quanquam enim mentis facit mentionem, tamen ea vox, hoc loco non de intellectu, ſed nouo homine intelligenda eſt: nam quem antea internum hominem, poſtea mentem vocat.

25. Notum autem, Apoſtolum per internum hominem intelligere eum, qui ex antiquitate reformatus eſt: Sic enim Corinthijs ſcibit: Quamuis externus noſter homo corrumpitur: internus tamen renouatur in dies ſingulos: ubi certe renouandi verbum oſtendit, internū hominem, de regenerato accipiendum eſe.

26. Cum ergo Paulus dicat, in ſe, hoc eſt, ea parte, qua renouatus non fit, nihil eſſe boni, viribus omnibus humanis laudem ad conatum & profectū in probitate omnem adimit.

27. Sic etiam illud intelligentum eſt, cum dicit: Non, quod volo, hoc facio; ſed, quod odi, hoc ago. Neq; enim voluntatem excusat, ſed oſtendit, veterem hominem nouo, qui perſuadere bona conetur, aduersari & contraria afferre.

A iiiij. 28. Te-

2. Cor. 4..

*Disputatio de*

28. Testatur etiam Augustinus, libertatem arbitrii esse facultatem rationis & voluntatis, qua bonum eligatur, gratia assistente, malum, ea desistente. Quae definitio, si sobriè intelligatur, nobis non aduersatur, libertatem arbitrij esse facultatem rationis & voluntatis: nam eam non propriam rationi & voluntati, sed ascititiam adscribit. Gratia, inquit, assistente bonum eligitur.

29. Neq; etiam assistentia gratiae talis est, vt ratio aut voluntas in societate vnâ cum gratia pariter veniant: tantum enim abest, vt ante emendationem voluntati diuinaz cooperentur, vt ei etiam è diametro repugnant.

30. Et vt hoc rectius cernatur, ostendemus sacrâ scripturam & rationi & voluntati omnem obsequij laudem ante regenerationem adimere: dicturi postea, quod & in progressu apud renatos ope diuina fulciendæ sint.

31. Quod si docuerimus, ambas illas facultates in studio pietatis & virtutis eneruatas esse, nō modò constabit, eas sua natura diuinæ gratiae non assistere, sed perspicuum erit, nihil eis in spiritualibus, libero arbitrio relinqui: sed Domino libertatem & regenerationem ascribendam esse.

32. Vulgatum quidem illud est, quod ratio deprecetur ad optima: sed videndum est, quantum hoc in Scriptura habeat pondus.

33. Ad Romanos tertio hæc verba habentur: Non est, qui INTELLIGAT, non est, qui EXQVIRAT DEVUM. Non est TIMOR DEI coram oculis eorum. En cum intelligere, Deum exquirere & timere, ad mentem pertineant, expeditum est colligere, quantum intellectui tribuantur.

34. Similiter i. Cor. 1. Paul⁹ scribit, quod homines per sapientiam Deum non intellexerint: & quām prodigiosæ fuerint Ethnicorum opiniones de DEO, in Cicerone de Natura Deorum habetur.

35. Et Simonides ille doctrinæ nomine celebris non erubuit fateri, quanto studiosius in indagatione quæstionis de DEO, sibi à Hierone proposita occuparetur, tanto perplexiorem fuisse.

36. Cum

*viribus humanis. &c.*

36. Cum ergò mens nostra ea in parte, qua maximè  
cultæ esse debebat, nihil luminis habeat, quam quæ so lau-  
dem ei tribuemus?

37. Nouimus etiam, Apostolū inter fruct⁹ carnis com-  
memorare cultum simulacrorum & hæreses: cum autem  
id omne à ratione deriuetur, excusari ea nequa quā nō po-  
terit.

*Gal. 5.*

38. Præterea, quid euidentius contra vires humani in-  
tellectus dici potuit, quām quod Paulus habet in E-  
pistola ad Corinthios: Animalis, inquit, homo non acci-  
pit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia siquidem illi sunt,  
nec potest cognoscere, quod spiritualiter diiudicatur.

*I. Cor. 2.*

39. Nec minus clarum est, quod habet ad Ephesios,  
cum dicit: Ethnici ambulare in vanitate mentis suæ, dū  
mentem habeant obtenebratā, abalienati à vita Dei pro-  
pter ignorantiam, quæ sit in illis & excaecationem cordis.

40. Et cum ibidem iubeat nos renouari spiritu mentis  
nostræ, ostendit, antiquitatem illam Adami etiam in mé-  
te confici.

41. Augustinus in libro de bono perseverantie cap. 8.  
citat verba Ambrosij, dicentis: Non in potestate nostra  
est cor nostrum, & nostræ cogitationes: quod omnis, qui  
humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.

42. Et scitum est, quod idem auctor habet in libris cō-  
fessionum: Mirum esse, quod animus imperans, manum  
habeat obsequentem, & animus sibi ipsius imperans non  
obediat sibi.

43. Et hæc sanè ostendunt, nobilissimā nostri partem  
à sacra scriptura & patribus vituperari.

44. Sed nec voluntas quidem nostra effugere iustum  
reprehensionem potest.

*Rom. 8.*

45. D. n. Paulus diserte dicit, affectum carnis, inimi-  
citiam esse aduersus Deum.

46. Ideni Apostolus dixit: Deum ipsum VELLE in no-  
bis efficere: ergò cum videamus voluntatem hominis di-  
uinitus reparandam, dubium non est, eam de sua præ-  
stantia suisle deiecam.

47. Quid

*Disputatio de*

**Con: Pelag.** **G**

**Cœlest. lib. I. cap. 20.** 47. Quid multis? Augustinus testis est, voluntatem esse authorem rerum malarum, bonarum autem minimè.

48. Sed obieccerit fortassis aliquis: Paulum ad Romanos septimo inter cœtera dicere, voluntatem sibi adesse. Item non se facere bonum, quod velit: quibus voluntatis libertatem & laudem afferere velle videatur.

49. Sed Paulus optimus sui est interpres: nam cum dicat, se secundum internum hominem delectari lege Dei, videmus illud velle, ad nouum hominem referendū esse.

50. Et sane cum ratio, quæ duætrix & gubernatrix videatur esse voluntatis, vitiosa sit, quomodo voluntas erit perfecta, cum ipsa magistra accusetur?

51. Et disertè dicit Augustinus, mentem & voluntatem esse vitiosam.

52. Cum ergo & voluntas & ratio euersæ & contaminatae sint, rectè Paulus totum hominem carnem vocat, & disertè dicit, in se nihil reperiri boni.

53. Quando autem dicimus, rationem & voluntatem euersam, non volumus, potentias illas animæ omnino delatas esse, sed depravationem utriq; inharentem, intelligimus.

54. Deinde cum illis eruptam omnem libertatem affirmamus, non adimimus eis electionem in rebus externis, vt locomotiuam, & gubernationem tūm Oeconomicam, tūm politicam: nam in his scimus & iudicare, & eligere aliquid homines posse.

55. Et hactenus quidem demonstrauimus, libertatis partes nullas in spiritualibus relinquimus, cūm & ratio & voluntas laborent.

56. Sed sunt & aliæ causæ, quibus confirmare possumus, post lapsum vires nobis ad omnem conatum bonum eruptas: ita vt in homine, quod Paulus dixit, NIHIL inhabitet boni. Eas paucis recensebimus, & præcipue firmamenta è D. Paulo afferemus: & eius γνῶμα, quam propositam habemus, atq; alijs, quas alibi habet, & declarabimus & confirmabimus; visuri perpetuū & pulcherrimum

**De cœnit. lib II.  
cap. 2.**

*viribus humanis &c.*

riū consensum Apostolicę doctrinę, de libertate arbitrij.

57. Principiō dubium non est, D. Paulum, cum de novo & vetere homine loquitur, per veterem intellectissimam vires, quas post cladem illam mortalium corruptissimas habet: per nouum autem gratiam & regenerationem, quę beneficio Dei nobis contingit.

58. Deinde scimus, D. Paulum precipere, hominem veterem illum deponendum, exuendum, crucifigendum, & abolendum esse.

59. Quis autem non videt, Apostolum illis ipsis phrasibus damnare illum hominem: alioquin non præciperet, eum crucifigendum esse.

60. Nunquam autem repudiaret eum Paulus, nisi intelligeret vitiosum, contaminatum, & talem esse, qui Deo placere non possit.

61. Proinde certum est, vires humanas fractas & ita contaminatas esse, ut Deo non modo probari nō possint, sed etiam ab eo damnentur.

62. Eas itaq; laudibus extollere nō debemus, sed agnoscere miseriam nostram, & tristem illam ruinam rerum humanarum, quę lapsus illum miserrimum insecurus est.

63. Habemus etiam hoc loco ingenuam Pauli confessionem, dicentis, Noui, quod in me, hoc est, in carne mea non inhabitet bonum. Et nisi erog homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio?

64. Sed audiamus in primis Dominū Seruatorem, qui ostendit, quare homo φυγεῖς Deo non probetur. Quia, inquit, quod natum est ex carne, caro est.

65. Videamus naturaliter simile procreare simile, cum autem homines natura sint caro aut carnales, tales etiam gignunt.

66. Et, ut dicimus, κανὸς κόρηνος κανὸν ὁν, significatur, ex improbis parentibus nasci plerumq; improbos: ita verissime dixit Christus, ex carnalibus, hoc est, peccatoribus, non nisi peccatores procreari.

67. Cum autem illa fœditas naturalis Deo displiceat,

Eph. 4.

Col. 3.

Rom. 6.

Rom. 7.

Iohn. 3.

*Disputatio de*

non potest prima nostra nativitas ei placere: sed est abominatio in conspectu ipsius.

68. Non potest lupus nisi lupum, leo leonem, vipera viperam procreare, ita cum homine nascitur illud malum ingenitum, imò verò venenum exitiale peccati in nobis omnibus hæret: vt testatur Apostolus ad Romanos 3. Venenum aspidum sub labijs eorum.

69. Constat etiam ex poena, quæ hanc corruptionem nostram sequitur, hominis naturam depravatissimā esse.

70. Nam iustissimus Deus non excluderet homines non regenitos, ab æterna salute, nisi depravatio nostra illa naturalis, æternum supplicium mereretur. Dixit autem ipsa veritas: Nisi quis renatus &c.

71. Et cum noua nativitas requiratur, certum est, priorem illam Deo displicuisse: & proindè vitiosam esse: nam bona Deo non displicant.

*Gal. 5.*

72. Est etiā in promptu causa, cur tantopere Deo nostra nativitas improbetur: quia caro, teste Paulo (intelligit autem, vt supra probauimus omnes vires hominis) concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

73. Quam pugnam Apostolus hoc capite scitè admundum depingit, & ostendit, hominem Christianū, quasi geminam personam sustinere, & nō renati, & noui hominis.

74. Et ad Romanos octavo Paulus concupiscentiam dicit, inimicitiam esse aduersus Deum.

*Aug. in Psal. 75.* 75. Quem imitatus Augustinus, hanc luctam spiritus contra Pelagium, cum carne, esse bellum contra seipsum: & alibi ciuale bellum, vocat.

76. Quemadmodum autem magistratus hominibus factiosis iure irascuntur, ita & Deus creaturas, quæ se ipius maiestati opponunt, & ceu γνωτομαχίαν exercent, & damnat, & æternis cruciatibus eit puniturus.

77. Cuius severitatis primum exemplum ostendit in Diabolis, qui & de gradu suo, & cœlis præcipitati sunt: quia se creatori opposuerunt.

78. Ex eo certa consequentia extruitur, eos, qui spiritu Domini

*viribus humanis &c.*

Domini renouati non sint, Deum & & iratum & vltorem  
esse habituros.

79. Iam & hoc consideremus, quod fatentur omnes,  
imaginem Dei, quæ in mentibus humanis corruscabat,  
deletam esse.

80. Nam cum Adam à Deo defecisset, cepimus gestare  
imaginem terreni, sicut nunc Dei clementia gestamus i-  
maginem cœlestis.

81. Exuit ergò Diabolus hominem ea pulchritudine,  
quam primi nostri parentes habebant, & larua sua de-  
formi illa homines & induit & fœdauit: vt comparere in  
conspectu Dei non audeant.

82. Hanc tetram faciem pingit Apostolus, secutus Da-  
uidem Rom. 3. Non est iustus, ne vñus quidem &c.

83. Nam si vel Apelles voluisset truculentam bestiam  
aut Draconem formidabilem pingere, quomodo illustri-  
oribus lineamentis & coloribus effingere potuisset, quam  
quibus Paulus vñus etiam.

84. Quis nam vñquam vidit beluam, cui pro rictu es-  
set sepulchrum, quæ sub lingua aleret aspides? tales au-  
tem, si Apostolo creditus, sunt homines, qui nondū re-  
nati sunt Christo.

85. Egregiam verò laudem quis comparauerit homi-  
nibus, si hanc ab Apostolopicturā mutuari voluerit: qua  
aliás in pingendis diabolis vtuntur pictores & artifices.

86. Sed sortassis manebit aliqua laus ingenij nostris,  
si subiecta fuerint. Et sanè ager cordium nostrorum tum  
fœcundus esse incipit, cum cœlestis ille agricola in eo elab-  
orârit: natura autem sua (de quo in hac disputatiōe agi-  
tur) lapideus est. Nam Ezechiel cor nostrum lapideū esse  
dicit, beneficio autem Dei fieri carneum.

87. Itaq; in agris incultis diligens & laboriosus co- Ezech. II. & 36.  
lonus inuenit fœcunditatem: si eos extrahendis ara-  
tris, occando, pastinando exercuerit. In corde au-  
tem humano Dominus pr̄ter sterilitatem nihil inuenit,

*Disputatio de*

nisi agrum ad suam illam cœlestem agriculturam totū reformauerit, videlicet, ut è lapidibns carnem faciat.

88. His & hoc adjiciamus, cum homines celebrandas Domini laudibus nati sint, teste autem Apostolo, os eorum execratione plenum sit, an non merentur, ut infra omnes creature abijciantur?

89. Nam reliquæ creature, inanimes etiā ille, ad celebrandas Domini laudes silentes facundæ sunt: solus homo ab officio discedit, & pro laude Domini vituperiū, pro celebratione, blasphemiam affert.

*Rom. 3:*

90. Quid multis? Nihil homini tā familiare est, quām omni iustitia esse vacuum, & destitui gloria Dei: nec ullus se, numero illorum exēmerit: quia Paulum illum ter maximum habemus confidentem, qui in se, hoc est, in carne sua nihil esse boni affirmat.

*Rom. 7:*

91. Nec miserię nostrę testem maiorem afferre possumus, quām Christum Ihesum, qui dicit, hanc esse condemnationem mundi, quod lux venerit in mundum, homines autem dilexisse magis tenebras, quām lucem.

92. Nam vt noctuę lūcem fugiunt, recessum autem & noctem amant: Sic mens humana dēfissimis tenebris involuta, & Christum Solem iustitiae & facultā verbi Dei apernatur: quod persecutioes Christi, Apostolorum & primitiæ Ecclesiæ testantur.

93. Vidēmus etiā, statim post homines natos, dēfissimos fere quosq; se veritati cœlestis doctrinę omni conatu opposuisse: adeo ipsis tenebræ & errores placebant.

94. Sed quomodo tandem in viribus nostris laudem obsequij inueniemus: cum Job dicat: Nos pro mille ne vnum quidem posse Domino respondere.

95. Ea vero demum summa est amentia, quod oblata remedia, nisi à Domini spiritu reformemur, aspernari solemus: nam pleriq; commonefactiones, adhortationes, increpationes, quæ ex Dei verbo adhibentur, oderunt.

96. Nescio autem, num hoc quisquā elegantius quām

Theolo-

*viribus humanis &c.*

Theologus, in suo Apologetico expresserit: cum inquit:  
Ἐσμεν ἀνθρῶποι καθ' ἑαυτῶν, καὶ κατὰ τὴν ὑγεῖαν ἡμῶν επική-  
μονος. Suius, inquit fortis contra nos, & contra fanita-  
tem nostram sapientes.

97. Hæc omnia cum animaduerteret Augustinus, non *Contra Iuliu. lib.*  
dubitauit arbitrium seruum dicere: atque libertas in ser- *2. col. 978.*  
uitute cernitut? Nec minus scitè noster Lutherus, qui scri- *De seruo arbit-*  
psit, Liberum arbitrium esse titulum sine re. *trio.*

98. Deniq; cum in perfectis hominibus, quos Domi-  
ni Spiritus reformauit, multūm desideretur, quid sentien-  
dum est de ijs, qui gradum non fecerunt?

99. His ergo rationibus, quas attulimus, id, quod in  
controversia est, ostendimus, in homine nō renato, quo  
ad spiritualia, nihil inueniri, quod laudem mereatur, sed  
& mentem & voluntatem captivas esse peccati: inimicas  
DEI, repugnantes Spiritui Sancto.

100. Sed nunc paucis etiā considerandum est, quid in  
ipsa conuersione possint vires humanae.

101. Audiamus autem hac in parte Seruatorem Domi-  
num dicentem: Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis:  
cum autem filius Dei nos in veram libertatem asserat, non  
est, quod nobis aliquid arrogemus.

102. Nam cum nihil in nobis inhabitet boni, & præ-  
reia etiam caro repugnet spiritui, ne ad conatum quidem  
bonum nobis aliquid relinquitur. Sine me, inquit Christus,  
nihil potestis facere.

103. Et cum Dominus in Ezechiele polliceatur, datu-  
rum se populo suo pro corde lapideo, cor carneū, utrumq;  
ostendit, homines natura sua ineptos, eam autem duriti-  
em cordis nostri, solo Dei auxilio emolliri & emendari.

104. Nec cum his pugnant, quæ habentur eiusdem  
Prophetæ capite 18. Facite vobis cor nouum & spiritum  
nouum. Ad quod malum verbis Augustini quam no-  
stris respondere. Quare iuquit iubet si ipse datus est?  
Quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat, quod iubet,  
& adiuvat, ut faciat, cui iubet?

B iii

105. Et

*Iohann. 15.*

*Bzech. II.*

*Aug. gra: & lib.  
arb. cap. 15.*

*Disputatio de*

105. Et Christus Scruator hanc regenerationem ascribit Spiritui Sancto.

*Ioan. 3.*

*2. Cor. 5.*

*Gal. 6.*

*Ephes. 2.*

*Phil. 2:*

*Aug. ad Bonifac.  
lib. 2. cap. 10.*

*Bidem repetitum  
cap. 9.*

106. Quod autem solo beneficio numinis, illa animorum nostrorum deformitas emendetur, scriptura disertè docet, cum renatos vocat nouas creature. Ostendit enim creatorem in nobis gignere hos nouos motus: ergò creature in his sibi nihil ascribat.

107. Et disertè dicit Apostolus. Ipsius sumus opus, CONDITI in Christo Ihesu ad bona opera, quæ PRAE-PARAVIT DEVS, vt in eis ambulemus: nam vt sàpè ex Paulo repetiuimus, nihil habemus domestici, quod ad nostras laudes auocemus: nihil enim in nobis inhabitat boni.

108. Clarius etiam est, quod habet in Philippensibus: Deus est, qui agit in vobis, vt velitis: ergò reformatio voluntatis Deo ascribitur.

109. Sed non sola initia, sed profectus etiā Deo ascrabantur: nam Paulus addit, quod Deus efficiat in nobis, vt perficiamus.

110. Hoc autem ita intelligimus, Deum, vt velimus sine nobis operari, cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperari: & vt clarius etiā ex antiquitate repetamus: Nos volumus, sed Deus operatur in nobis & velle: nos operamur, sed Deus in nobis operatur & operari.

III. Inprimis autem illud Augustini scitum est: Sic, inquit, Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonę mutationis suę, vsq; in finem consumationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest bonum inchoare sine Domino: sic nemo perficere sine Domino.

III. Statuamus ergò cum Cypriano: Neminem suis viribus fortem, sed Dei indulgentia tutum esse.

III. Et cum de cooperatione loquimur, voluntatem, que à Domini Spiritu emendata est, intelligimus: nam quz

*viribus humanis &c.*

qua non est renata, Spiritui Domini aduersatur, quod Paulus habet in eo capite, de quo agimus.

114. Videmus ergo, quām nihil in his nostrum sit: Sed Deum in solidum autorem & initiorum bonorum & profectus confituendum esse.

115. Neq; tamen, dum hęc statuimus, hoc volumus, Deum cum homine, vt cum stipite & lapide agere.

116. Nam voluntati & velle & consentire tribuimus: etenim voluntas coacta, ne voluntas quidem est: emenda- ta autem consentit voluntati Dei ad conatus hōestos: pro- indē id soli duiuinę gratię tribuendū est. Voluntas enim humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.

117. Et quamvis Dominus in regeneratione hominis verbo suo vtatur: tamen nisi in cordibus nostris Domini Spiritu accensum fuerit, sine emolumento nobis proponetur: itaq; inter instrumenta collocamus.

118. Nec tamen verbum negligendum esse dicimus, cum Paulus dicat: Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti: item, Fidem esse eauditū: Et veteres admodum appositè dixerunt: Verbū esse vehiculum Spiritus Sancti.

119. Satis ergo, vt existimo ostendimus, ad recuperan- dam & conseruandam libertatem illam spiritualem, nihil nostrum esse: & in hac, quam tractamus, γνῶμη, Paulum sibi & alijs hominibus recte gloriationem c. n. nem adime- re, cum dicit: Non si se, quod in nobis nihil inhabitet boni.

120. Cum hac autē Paulina asseueratione, pugnat do- gma Pelagij, quod nimium tribuit viribus humanis.

121. Nam ponebat ille tria in homine, posse, velle, esse, quorū primū soli Deo, reliqua duo homini tribuebat.

*Aug. contra Pe-  
lag. & cœlest. lob.  
I. cap. 2.*

122. Hoc tali exemplo monstrabat. Quod possimus vi- dere oculis, nostrum non est: quod verò bene aut malè vi- demus, hoc nostrum est. Ita quod possimus omne bonū facere,

*Disputatio de*

facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donauit: quia hoc posse adiuuat. Quod vero benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, quia hæc omnia vertere in malum etiam possumus.

123. Addebat etiam, hoc ipsum posse adiuuari Dei gratia: hoc est, lege & doctrina Dei, monstrante, quid rectum sit.

124. Nemo non videt, hæc è diametro cum Diuo Paulo pugnare, qui affirmat, nihil in se inhabitare boni.

125. Aduersantur etiā ei corruptelę Pontificię, quę libertatem humanorum animorum, nimijs laudibus extollunt.

126. Plausibile argumentum & Pelagio & assertoribus liberi arbitrij videtur, Deum nunquam præcepturū impossibilia: cum autem mandata dederit, existimant, arbitriū liberum esse.

*Aug: ad Valen:  
de libero arbitri:  
cap. 16. Et de nra  
tu: & gratia  
cap. 43.*

127. His respondet Augustinus de libertate arbitrii, ad Valentīnum scribens: Magnum, inquit, Pelagiani se scire putant, quando dicunt: non inhæret Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua, quę non possumus, ut nouerimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim est fides, quę orando imperat, quod lex imperat.

128. Deinde cum Dominus apud primos homines libertatem animorum, veluti præclarum depositum reprouserit, iure optimo id à nobis repetit. Sicut is, qui mutuam pecuniam aut depositum ab obērato homine, quem scit bonis omnibus exutum, reposcit.

129. Nec magis firmum est, quod ex promissionibus diuinis probare conantur, vires nostras ad obsequiū paratas esse, quia à Domino præmia proponantur: quę nulla ipse polliceretur, si nosset, nos ad ea consequenda elaborare non posse.

130. Nam toti legi promissiones plurime annexuntur, cuius tamen complementa Apostolus in nostris virtibus esse negat.

131. Nec

*viribus humanis &c.*

131. Nec falsis laudibus ornanda est voluntas nostra, quod naturaliter appetat bonū. Nam, ut veteres loquuntur, non virtutis, Sed conditionis bonum affectat.

132. Nec necessitatem à natura depravatione profetam allegemus: sed sciamus, nos natura quidem, sed non inuitos tales esse.

133. Quod praeclarè à gentilibus gesta, ad probandam libertatem humani arbitrij afferuntur, nihil habent momenti.

134. Distinguendum enim est inter dona, quæ gentibus sunt tributa, & peccata, quibus abusi sunt donis Dei.

135. Nam testibus summis viris, quicquid boni sit ab homine, & nō propter hoc sit, propter quod fieri debere, vera sapientia præcipit, et si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

136. Quis autem non videt, homines Ethnicos multa vel gloriae stimulis concitatos, vel utilitate & emolumen- tis motos fecisse, in quibus ceu simulachra quædam virtutum conspicerentur, quæ tamen omnia coram Deo hypo- critica fuerunt.

137. Et sanè cum ipsi faterentur, virtutem propter seip- sam expertendam esse: tamē magni etiam viri non erubuerunt dicere, trahi omnes laudis studio, & optimū quenq; gloria duci, & vix inueniri, qui laboribus susceptis, periculisq; aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

138. Cui & hoc est adjiciendum, quod gloriam dei opt: Max: quæ vna & sola consideranda in omnibus actionibus est, non respexerunt. Neq; enim colere, quem non agnoverunt poterant.

139. Præterea negari non potest, gentes fide caruisse: cum autem Paulus testetur, quæcunq; ex fide non sint, esse peccata: videmus, quam laudem virtutes ethnici in sacris literis obtineant.

140. Certum etiam est, eos carnisse Spiritu Sancto, Ergo opera eorum ad sanctificationem non profuerunt: nam extra Domini Spiritum non est sanctificatio.

*Disputatio de*

141. Sæpè ab Augustino repetitur illa *yvājn* Seruato-  
ris, ex arbore mala non posse expectari bonos fructus:  
itaq; à non renatis verè bona opera profici non posse:  
quia sint mala & putidæ arbores.

142. Deniq; vt ad initia renertamur, si in homine ni-  
hile est boni, vt Apostolus testatur, quomodo è mala illa  
scaturigine deriuabuntur salutares? riauli?

*SECVNDA PARS DISPVTTATIO NIS.*

143. Hactenus è sententia illa Pauli, & alijs Scripturæ  
locis ostensum est, vires humanas ad regenerationem, ni-  
hil posse adferre adiumenti: itaq; eas falsis encomijs non  
esse exornandas.

144. Contra autem ex eodem loco Paulino ostende-  
mus, hallucinari eos, qui post illam cladem mortalium  
non modò ornamenta, quæ in primis hominibus corru-  
cabant, videlicet Dei imaginem, sed ipsam etiam hominis  
Substantiam amissam, & in peccatum conuersam esse.

145. Aduersus hunc perniciosum errorem, vel solum  
verbum INHABIT ANDI, quo in hoc septimo capite  
Paulus ter vsus est, sufficere poterat.

146. Vt enim domus & is, qui eam inhabitat, diuersa  
sunt: ita peccatum & substantia, cui inhæret, diuersa sint,  
oportet.

147. Cum Substantia ipsa per se sit, accidentia autem  
substantijs inhærent, certū est, peccatum esse accidens, &  
Paulus in hoc capite aliquoties testatur, quod peccatum  
homini adhæreat.

148. Non (inquit) inhabitat in me bonum. Item, vi-  
deo aliam legem in membris meis. Rursus: Captiuum  
me reddit legi peccati, quæ est IN membris meis. Et Ro-  
manis scribens hortatur: Ne regnet peccatum in mortali  
ipsorum corpore, Dicit etiam, sibi malum adjunctum.  
Ex his testimonij manifestū est peccatum homini inhætere,  
& proinde non substantiam, sed accidens dici debere.

149. In

*viribus humanis. &c.*

149. In eandem sententiā multa habentur in patribus, *Avg. lib: de Nat.*  
Augustini hæc sunt verba: Peccata, à quibus dicit Euani- *& gra: cap. 28.*  
gelium saluum faciendum populum Christi, **SVBSTAN-**  
**TIAE NON SVNT.**

150. Idem author scribit, Libidinem non esse naturale  
bonum in hominibus, sed per peccatum primorū paren-  
tum **ACCIDENS MALVM ET PVDENDVM.**

151. Et rursus non tam breuiter quam scitè & eleganter  
dixit, peccata *In opiam* habere non substantiam.

*In Psal. 123.*

152. Cum Augustino facit Basilius, qui in Homelia, vbi  
agit, quod Deus non sit causa peccati, disertè inter substan-  
tias & priuationem distinguit. Non, inquit, subsistit ve-  
lut animal **INIQUITAS**, neq; ipsius essentiam enhy-  
postaton statuere possumus. Nam **MALVM PRIVA-**  
**TIO BONI EST.** oculus creatus est: cæcitas ex oculo-  
rum perditione prouenit.

153. Lutherus, à quo multa conantur mutuari Flacia-  
ni, apertè dicit, malum originis hærere in nobis. Vocat  
etiam malum originis profundum venenum **IN ANI-**  
**MA ET CORPORE.**

*In Gene. 42.*  
*Gene. 2.*

154. Nolumus eiusmodi percensendis esse prolixio-  
res: cum talium *opaciorum* exempla, paßim sint obuia in  
scriptis Lutheri.

155. Quis ergò non dixerit, pulcherrimū hac in parte  
consensum esse Apostolorum, patrum, & eorum, qui no-  
stro Seculo docuerunt. Et nos eam ob causam in hoc ne-  
gocio testimonia illorum cum scriptura coniunximus, vt  
his refutarentur ij, qui ex illorum scriptis tegumenta suis  
corruptelis querunt.

156. Nam si nemo negauerit, præclarum esse sequi ve-  
stigia Dei ipsius, in his etiam pulcherrima illa *opuscula* a-  
utorum scriptorum sequenda erit: sic enim à veritate non  
aberrabimus: cum veritatem ipsam ceu individuam co-  
mitem habuerimus, quæ clara nos voce præcedens cohoret-  
tur, ne à semel suscepto itinere, ad commenta humana  
deslectamus.

*Disputatio de*

157. Sed hoc nos in primis moueat, quām in tetra & periculosa præcipitia tales homines nos sint adactūi, si eorum deuia itinera perseguamur.

158. Etenim si peccatum originis ab ijs in substantiam fatebimur, Deum autorem esse peccati, quo nihil magis blasphemum excogitari posset.

159. Contra cum necesse sit, nos eductos sacris dicere, Diabolus esse causam mali originalis & peccatorum omnium, eundem creatorem alterū substantiæ humanæ, cum hæreticis statuemus.

160. Hoc præcipitum excipiet aliud horribilis: nam si hoc dederimus, confitebimur: *Ἄγιον* Maria virgine carnem non assumisse, sed creasse nouam carnis *στοιχεῖ*, quod hæreticum est.

161. Oportuit enim Seruatorem Dominum ab omni labo abesse, qui nos cōtaminatos ab omni labo vellet purgare: præsertim cum prophetæ prædixerint, in ore ipsius non futurum esse dolum.

Lnc. 1.  
162. Et cum à Spiritu Sancto conceptus fuerit, sanctū eum esse omni ex parte, vt Angelus prædixerat, ne cesset fuit. Quod si ergo sanctam carnem etiam secundū substantiam in utero virginis nō inuenit, noua creatiōe opus fuit.

163. Hoc si statuerimus, & illud sequetur, Christum nō assumisse semen Abrahæ: non benedici in semine huius Patriarchæ omnes gentes: Christum non esse fratrem nostrum: non mediatorem: quæ omnia ita sunt tetra, vt optimi cuiusq; animus ab ijs abhorreat & refugiat.

164. Nam his concessis, euertentur omnia fundamenta fidei & redemptionis nostræ.

165. Testatu hrc Irenæus lib. 5. de carne Christi: Si altera in substantiam carnis Domino affingit, non iam constabit illi reconciliationis sermo: reconciliatur non illud, quo d. fuit aliquando inimicitia. Si autem ex altera substantia carnem attulit Dominus, iam non illud reconciliatum est Deo, quod per transgressionem factum fuerat inimicum.

166. Nec

166. Nec est quisquam tam absurdus, quidicat, Christum pro ipso peccato originali ut substantia passum, cum nostra fides habeat, eum hominum causa tantos cruciatus subiisse.

167. Quibus & hoc addendū est, nos in resurrectione aut retenturos peccatum originis, aut amissuros esse. Si hac carne morti obnoxia exiuemur, separabitur peccatum, & propterea concedendum, peccatum esse accidens. Si retinuerimus peccatum, quia substantia est, aternam vitam non sumus habituri: nam caro & sanguis regnū Dei, non videbit. Eo autem loco caro & sanguis pro peccato accipitur, ut notum est.

168. Sed habent illi homines sui erroris prætextū, imminēm Dei substantiam hominis fuisse: qua amisīa, de substantia fuisse actum. Verū illud ipsum, quod iacturam eius fecimus, & in vita illa beata beneficio Christi eam recuperaturi sumus, ostendit, illud ornementum esse separabile & proinde accidens.

169. Nec bona est connexio, cor & carnem esse substantias, ergo peccatum quod illa ambo corruperit, esse substantiam: aliās in hæresin Patricianorum incidemus, qui dicebant, carnem non à Deo, sed Diabolo conditam, & sibi inferebant manus, ut se liberarent à carne.

170. Nam cum illi ipsam substantiam hominis, quā est, corruptā opinarentur, absurda illa extruebant, aliud esse principium carnis creatæ, quām animæ: & contra Domini voluntatem exuere se hoc corpore, antequam euocabantur, conabantur.

171. Cum autem vel mediocriter docti intelligent, eos hallucinatos, quod, quando dicitur, carnem esse corruptam, Synechdochen non obseruārint, nos etiam ab eiusmodi corruptelis abstineamus: & simpliciter enunciata, à figuratis distinguamus.

172. Scimus enim vocabulum corruptionis ἡμέρων esse, & aliquandò ipsius substantię ab elitionem, al. quando vitium in substantia signif care.

Rom. 8.

Aug. de Hæresiis  
bus ad, quod vult  
Deum cap. 61.

*Disputatio de*

173. Non ergò rectè concluditur, carnem corruptam,  
& idcirco eiu ~~substantiam~~ & definitiōem sublatā: Sed fœditatem  
in carne intelligimus, quæ existente etiā illa, inesse potest.

174. Nec concedendum est, ut abutantur adiectuo to-  
tus: nam cum dicimus, totum hominem corruptum esse,  
intelligimus totam substantiam hominis infectam, sed  
non sublatam esse.

175. Multū se iuuari putant vocabulo NATVRAE.  
Nam cum hominis natura corrupta dicitur, existimant, &  
substantiam eius perijisse: nec considerant Naturæ voca-  
bulum æquiuocum esse: & sàpè pro rei alicuius proprie-  
tate aut accidente usurpari: quę salua substantia, vel men-  
te, vel reuera etiam separari potest.

176. Naturam belluarum esse feritatem dicimus, cum  
tamen mens inter leonem & eius immanitatem distin-  
guat: & historię testentur, hominum industria elephan-  
tes, leones & alias belluas cicuratas.

177. Contra antiquitas testatur, omnem naturam, in  
quantum natura sit, bonam esse. Item omne malum in bo-  
no hærere.

178. Ex his non modò hoc conficitur, omnem substani-  
tiam bonam esse, sed mala inesse: & propterea peccatum  
etiam originis, accidens rectè dici posse.

179. Quemadmodum vocabulis, ita etiā authorita-  
te Lutheri abutuntur: nam cū eloquentissimus vir, quan-  
do de peccato originis loquitur, grandibus & figuratis,  
verbis vtitur, ipsi ea perperam κατὰ τό γέντον intelligunt-

180. Verbi gratia, cum Lutherus hominem dicit esse  
IPSVM peccatum, intelligent, peccatum transiisse in sub-  
stantiam, cum tamē Lutherus crucismodi loquendi modos  
nunc auxesin, nunc tapynosin, nunc epitasin vocet. Posse-  
mus dicere metonymiam aut emphasin.

181. Huic affine est, quod ex eodem authore non appo-  
fit ad suum institutum accommodant: cum dicunt, Luthe-  
rum peccatum vocare peccatum essentiale, ut ex eo colli-  
gant, eum statuisse, peccatum originis esse substantiam aut  
essentiam.

182. Et

*Aug. con: Epi:  
Fundat:*

*Tow. 6. vijit:  
Ger: fol. 517.  
Contra lib. arbit-  
rium.*

*viribus humanis &c.*

182. Et sane mirum est, eos hoc verbum ad eum modū  
contorquere, cum Lutherus optimus sui sit interpres: sic  
enim scribit. Ideo dixi *essentialē*, quia per natuitatem Tom. I. De tri-  
*contrahimus*, & manet semper: nec aliquando transit *vt placi iusta*.  
actuale.

183. Sed nescio, num de his luculentius scrips̄erit, quā  
in Genesin. cap. 21. Moses, inquit, discreuit peccatum ini- In cap. 21. Ge: Toz  
pudicitiæ ab ipso Dei opere: quia s̄pē inculcat & repetit, 10. vVIII.  
Saram concepisse & peperisse, quemadmodum Dominus  
locutus fuerat: & quidē in ea ætate, qua feruor impudici-  
tiæ cessat: sic ergō, inquit, & nos defect⁹, quos attulit pec-  
catum originis, à creaturis & operibus Dei, secernamus.

184. Sunt etiam alia multa, quę illi afferunt, ea breui-  
tatis causa, cum alias disputatio pr̄ter opinionem ex-  
creuerit, pr̄terminimus.

185. Sic ergō ex gnome illa, vbi Apostolus dicit, scid,  
quod in me, hoc est, carne mea, nō inhabitet bonū, osten-  
dimus, non esse nimiū tribuendū humanis viribus: qua-  
rum ~~z~~ ~~z~~ ostendit, cum negat, in se quicquā esse boni.

186. Contra autem cum peccato originali tribuatur à  
Paulo inhabitatio: & quod adiunctum sit &c, videmus, nō  
esse nimium detrahendum homini, vt etiam substantiam  
auferamus, sed tenendum, quod vitium illud originis in  
substantia humana hæreat, & penitus infixum sit.

187. In hac ergō humanarum viriū corruptione, quę  
tanta est, vt in spiritualib⁹ ne ad conatū quidem bo-  
num elaborare possimus, opus nobis est numinis clemen-  
tia, & beneficijs seruatoris Domini qui vt peccata nostra  
expiauit, sic nobis Spiritū sanctū impetravit: qui nos re-  
format in melius: facitq; nouos homines. Quę tamen re-  
formatio in hac vita non absolutur (habemus enim dun-  
taxat primitias Spiritus) sed tandem in illo beato & sem-  
piterno ævo perficietur. Quod largiatur nobis Iesus  
Christus ~~primitijs~~ noster. Cui sit laus honor &  
gloria in omnem æternitatem Amen.

F I N I S.

1734112

ab initio dicitur

OCN 902660834

Placitum est quod non possunt esse omnia? sicut? et? et? et?

ad hanc questionem respondet etiam deus? et? et? et? et? et?

Et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et?

et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et? et?